

Hartmannum autem SCHEDELIUM, qui G. G. LEIBNITIO (y) teste Hugonem fuisse Gallum perhibet non moramur, cum recentior sit, non satis hac in re fide dignus.

Prima studiorum & pietatis rudimenta posuit in coenobio Hamerslebiensi S. Pancratii dioecesis Halberstadiensis. (a) Hugonem in monasterio Hamersleven religionis habitum & prima elementa regulares vitae suscepisse testatur BORCHARDUS episcopus Halberstadensis. (b) Inde ex hoc monasterio Hugo ortum duxisse dicitur a FRIDERICO archiepiscopo Magdeburgensi. (c) Ibidem, ut quidam volunt, vota nuncupavit, teste Iohanne LINDENBORNIO, (d) cui tamen contradicere vividetur Autor vitae Hugonis, (e) qui in cœnobio S. Victoris prima vota nuncupasse Hugonem narrat. A parentibus vero suis in scholam Hamerslebiensem missus fuit, & ibi etiam invitatis parentibus mansit, donec propter bellum, quod totam pene Saxoniam sub Henrico IV. vastaverat, abire cogeretur. (f) Hamerslebia studiorum causa missus est Parisios. (g) Inde dictum puto, quod a puero exulaverit Hugo, in codice Aquicinctensi. (h) Episcopus Halberstadensis autem Reinhardus misit eum Parisios in monasterium S. Victoris, in quo propter eruditorum virorum, qui in eo vivebant, copiam mansit. (i)

Paulo aliter hæc enarrat Autor vitae Hugonis (k) his verbis: Ubi decimum octavum ætatis annum attigit, seculi fugam meditari cœpit, id communicat patruo Hugoni ( IOHANNES a S. Victore, observante LEIBNITIO,

(y) in præfatione ad Alberici Chronicon pl. I. f. 3. p. 2.

(a) v. Ipse HUGO in epistola ad fratres in Hamersleve libro de arrha animæ præfixa apud G. G. LEIBNITIUM præfat. ad Alberici Chronicon pl. I. f. 3. p. 2.

(b) In epistola ms. data in Groningen scriptaque anno 1456. ad capitulum generale ordinis canonicorum regularium in Windesem congregatum apud G. G. LEIBNITIUM l. c. f. 4. p. 2.

(c) In epistola ms. scripta anno eodem ad idem capitulum l. c. & pl. 2. f. 1. p. 1.

(d) In Historia episcopatus Daventriensis pag. 350. n. 60. apud Henr. MEIBOMIUM de Hugonis patria T. III. Rer. German. p. 430.

(e) apud G. G. LEIBNITIUM l. c. f. 4. p. 1. 2.

(f) v. Iohannes WINNIGSTADIUS in Annalibus Halberstadiensibus Mss. apud Henr. MEIBOMIUM de Hugonis patria T. III. Rer. German. p. 431.

(g) v. Paulus LANGIUS in Chronico Citiensi ad ann. 1123. apud MEIBOMIUM l. c. p. 430.

(h) apud Ioh. MABILLONIUM Analector. T. I. p. 326.

(i) v. Ioh. WINNIGSTADIUS l. c.

(k) apud G. G. LEIBNITIUM in præfatione ad Alberici Chronicon pl. I. f. 4. p. 1. 2.